

oppugnarat 2 Error. Legem veteris Testamenti non totam à Deo esse dixit, sed partim à Deo, partim à Mose ipso: partim ex quibusdam seniorum traditionibus constare. 3 Deum vnum & eundem, cum aliquid emittit Patrem vocari: cum vera dicit, Veritatem: cum se manifestat, Hominem, vt Sabellianorum errorem sparsisse, etsi obscure, cum Simone videri debeat Ptolemæus. Ita Irenæus lib. 1. cap. 6.

CAP. XIII.

Marcus à quo Marcitæ hæretici. Erroris autem capita quatuor enumerata.



*M*arcus¹ etiam nescio quis hæresin condidit, negans resurrectionem² carnis: & Christum non verè, sed putatiuè passum asseuerans. Duo quoque opinatus est ex aduerso sibi esse principia. Quiddam tale etiam ipse de Aeonibus, sicut Valentinus, affirmans.

1 *Marcus etiam.*) Et hic quoque ex eadem Valentinianæ viperæ aluo procreatus est. Fuit enim condiscipulus Colarbasii, de quo postea, in eadem Valètini schola, eiusdemque doctrinæ blasphemæ & auditor & sectator. Itaque eum cum Colarbasio coniungit Tertullianus. In quo illud ab Irenæo patre verissimè de Valentinianorū hæresi dictum esse apparet, Nemo, ait, inter eos perfectus est, qui non magna mendacia velut fructus suæ disciplinæ produxerit, lib. 1. cap. 15. Hic igitur nouam sectam ambitiosè parturiens tandè edidit, in quo maiorum suorum, & ipsius adèd Valentini improbi-